

## DRACONTIUS

## SATISFACTIO (316 vers)

v.1 Rex immense Deus, cunctorum conditor et spes,  
 2 quem tremit omne solum, qui regis igne polum,  
 3 sidera flamma dies quem sol nox luna fatentur  
 4 auctorem, Dominum saecula cuncta probant :  
 5 principio seu fine carens et temporis expers  
 6 nescius alterni nec vice functus agis,  
 7 omnia permutans nullo mutabilis aevo  
 8 idem semper eris qui es modo vel fueras ;  
 9 nil addit demitque tibi tam longa vetustas :  
 10 omnia tempus habent, nam tibi tempus abest ;  
 11 qui mentes hominum qua vis per singula ducis  
 12 et quocumque jubes dirigis ingenia,  
 13 qui facis iratus homines contraria velle  
 14 propitiusque jubes ut bona cunctagerant.  
 15 Quicquid agunt homines, bona tristia prospera prava,  
 16 hoc fieri ammittunt ira favorque Dei.  
 17 Hoc tua verba probant Moseo dicta prophetae,  
 18 quod duraturus cor Pharaonis eras.  
 19 Sic mea corda Deus, nostro peccante reatu  
 20 temporis immodici, pellit ad illicita,  
 21 ut qui facta ducum possem narrare meorum,  
 22 nominis Asdingui bella triumphigera,  
 23 unde mihi merces posset cum laude salutis  
 24 munere regnantis magna venire simul,  
 25 praemia despicerem tacitis tot regibus almis,  
 26 ut peterem subito certa pericla miser.  
 27 Quis nisi caelesti demens compulsus ab ira  
 28 aspera cuncta petat, prospera cuncta negat ?  
 29 Irascente Deo mentes mutantur et artus,  
 30 vertuntur sensus, vertitur et species.  
 31 Persarum regem Babylonae regna tenentem  
 32 post decus imperii quis neget esse bovem ?  
 33 Et diademalem turparunt cornua frontem,  
 34 mugitus pecudis verba fuere duci.  
 35 Agricola timuit post Parthica regna bubulcum  
 36 summisitque pavens regia colla jugo ;  
 37 erravit per prata vagus mala gramina pastus  
 38 et qui homo bos fuerat de bove factus homo est.  
 39 Linqvit et antistes serus pater ille Johannis  
 40 elinguisque fuit voce tacente silens.  
 41 Ast ego peccando regi dominoque Deoque  
 42 pejor sum factus deteriorque cane.  
 43 Vulnera vexati curat sua lingua molossi,  
 44 heu mea quippe mihi vulnera lingua dedit.  
 45 Sed qui restituit pecudis post membra tyrannum  
 46 ut fieret rediens ungula fissa manus,  
 47 quique reformavit tacitae modulamina linguae  
 48 ne mutilante sono verba ligata daret,  
 49 ipse meo domino Deus imperat atque jubebit

50 ut me restituat respiciatque pius,  
 51 servet, avi ut laudes dicam patriasque suasque  
 52 perque suas proles regia vota canam.  
 53 Culpa quidem gravis est, venia sed digna reatus,  
 54 quod sine peccati crimine nemo fuit.  
 55 Nam Deus omnipotens potuit, cum conderet orbem,  
 56 tristibus amotis gaudia sola dare,  
 57 sed diversa creans et discordantia junxit  
 58 et bona mixta malis et mala mixta bonis.  
 59 Sic elementa potens contraria miscuit auctor,  
 60 humida cum siccis, ignea cum gelidis.  
 61 Littera doctiloquax apibus cognata refertur,  
 62 quis datur ut habeant vulnera castra favos.  
 63 Cera dat ingenium pueris, primordia sensus,  
 64 inde fit ut praestet littera vel noceat.  
 65 Aspisis habet mortes, habet et medicamina serpens,  
 66 vipera saepe juvat, vipera saepe nocet.  
 67 Cervae salutare pasto serpente medullas  
 68 conficit et pellunt ipsa venena neces.  
 69 Materies ferri simplex et noxia fertur,  
 70 impius inde nocet, rusticus inde placet.  
 71 Ipsa parit gemmas pretiosos terra lapillos,  
 72 ipsa dat et vepres spinea ligna rosas.  
 73 Delicias mortisque parat mare fluctibus altum  
 74 et generat pelagi conchula divitias.  
 75 Aera temperies auris vitalibus aptat,  
 76 quae corrupta dies eripit atque animas.  
 77 Aspera vel facilis retinet natura volucres :  
 78 blanda columba avis est, aspera vultur avis.  
 79 Nubibus aggestis pluviae nix grando pruinae  
 80 gignuntur, vicibus igne vapore gelu.  
 81 Sol dat temperies, species gratissima mundi,  
 82 cuncta creanda parans, cuncta creata fovens ;  
 83 per quem fetat humus flores et messis aristas,  
 84 sole perustus ager putris harena jacet.  
 85 Corpora sol reficit radiis et corpora vexat,  
 86 solibus alternis itque reditque salus.  
 87 Omnia nec mala sunt nec sunt bona sidera caeli ;  
 88 Lucifer hoc docuit, Sirius hoc monuit.  
 89 Temperies caeli medium nec possidet orbem,  
 90 nam de quinque plagis vix habet ipsa duas.  
 91 Quod caelum, quod terra, fretum, quod purior aer  
 92 non meruere simul, hoc homo quando habeat ?  
 93 Culpa rnihi fuerat dominos reticere modestos  
 94 ignotumque mihi scribere vel dominum,  
 95 qualis et ingratos sequitur qui mente profana,  
 96 cum Dominum norunt, idola vana colunt.  
 97 Israhelitarum populum sic culpa tenebat,  
 98 quando Deum oblitus flans vitulum coluit.  
 99 Et tamen indulges veniam poscentibus, auctor,  
 100 si sceleris facti mens rea paeniteat.  
 101 Te precor, Omnipotens, te quem decet esse benignum,  
 102 quem non ulla juvat ultio, sed venia,  
 103 cujus sancta manus sustentat corda regentum  
 104 et pius inclinas mox ubicumque jubes.  
 105 Te coram primum me carminis ullius, ausu  
 106 quod male disposui, paenitet et fateor.  
 107 Post te, summe Deus, regi dominoque reus sum,

108           cujus ab imperio posco gemens veniam.  
 109       Imperet armato pietas tua, prospera mandet  
 110           rex dominusque meus semper ubique pius ;  
 111       nec mihi dissimilis quam quod solet esse catervis  
 112           sit pietate sua, sit bonus et placidus.  
 113       Nam tua sunt quaecumque gerit quaecumque jubebit,  
 114           judiciumque Dei regia verba ferunt.  
 115       Exorent haec pauca Deum, qui mentis opertae  
 116           sensibus aetheriis condita vota videt.  
 117       Ad te nunc, princeps, mea vela retorqueo supplex,  
 118           pectore mente rogans, voce manuque petens.  
 119       Da dextram misero, veniam concede precanti,  
 120           tempore tam longo non decet ira pium.  
 121       Nam qui inimicorum culpis veniale minaris,  
 122           captivosque tuos deliciis epulas,  
 123       puniat ut sit quod Christus, tu parcis iniquis ;  
 124           vindice quo regnas, quo vigilante viges.  
 125       Qui pereunt bello soli moriuntur in hostes,  
 126           qui superest pugnae, vivat ut ipse, jubes.  
 127       Captivus securus agit solusque rebellis  
 128           formidat mortem, praeda quieta sedet.  
 129       Conservas animas, victum super ipse ministras,  
 130           ne sit vita gravis subripiante fame.  
 131       Nemo cadet sub jure tuo sub morte cruenta,  
 132           scit se victurum qui volet esse tuus.  
 133       Turba rebellantum quotiens oravit in armis  
 134           vinceret aut certe praeda fuisset iners.  
 135       Securus sine morte manus dat hostibus hostis,  
 136           nam bene conservas colla subacta jugo.  
 137       Sic leo terribile fremit horridus ore cruento  
 138           unguibus excussis dente minante neces ;  
 139       acrius iratus crispato lumine ferri  
 140           et mora si fuerit, acrius inde furit ; ;  
 141       at si venator trepidans venabula ponat  
 142           territus et jaceat, mox perit ira cadens.  
 143       Temnit praedo cibos, quos non facit ipse cadaver,  
 144           ac ferus ignoscit, ceu satis accipiat,  
 145       et dat prostrato veniam sine vulnere victo  
 146           ore verecundo deiciens oculos.  
 147       Sic tua, regnator, non impia frangitur ira,  
 148           cum confessus erit crimina gesta reus.  
 149       Ignoscendo pius nobis imitare Tonantem,  
 150           qui indulget culpas et veniam tribuit.  
 151       Principis augusti simile est ad regna polorum,  
 152           ut canit ad populos pagina sancta Dei,  
 153       sacrilegis referens caelestia jura catervis  
 154           cinctus apostolica discipulante manu.  
 155       Nonne Dei praecepta jubent ne sol cadat intrans  
 156           irascente animo, sed pius extet homo ?  
 157       Rex inimicorum jugulis mucrone pepercit  
 158           David et hic sceleris certus adulter inest ;  
 159       confessus facinus veniam pro clade meretur  
 160           noxius impune vel sine morte reus.  
 161       Insuper et Salomon, eadem muliere creatus  
 162           quae scelus ammisit, munus honoris habet.  
 163       Non fit Abessalon heres de conjuge natus,  
 164           sed sceleris fructus sceptrum paterna tenet.  
 165       Ecce quid impendit patris clementia parcens,

166 ut sibi regna daret, haec daret et suboli.  
 167 Ipse inimicorum Salomon non colla poposcit,  
 168 dum peteret Dominum, sed sapientis opem.  
 169 Extitit hic prudens, quia noluit esse cruentus,  
 170 pacificusque fuit consiliique tenax.  
 171 Stephanus ante alios lapidum sub grandine martyr  
 172 hostibus orabat sponte suis veniam.  
 173 Haec bona simplicitas praestat jejuna cruoris :  
 174 vir sine morte gerens nil habet ipse necis.  
 175 Caesar ubique potens hosti post bella pepercit  
 176 (et, quod erat pejus, civis et hostis erat) ;  
 177 sponte facultatem redhibens reparavit honores,  
 178 inde vocatus abit dignus honore dei.  
 179 Cujus ab imperio surgens et origine Caesar  
 180 Augustus meruit tempus habere pium.  
 181 Tempore namque eodem est natus de virgine Christus,  
 182 cujus et emicuit stella per astra poli.  
 183 Dux princeps Romanus erat de principe Titus,  
 184 si non praestaret, dicere saepe solens :  
 185 "perdidimus hac luce diem ", si nulla dedisset  
 186 non exoratus praestita supplicibus.  
 187 Alter ait princeps modico sermone poeta  
 188 Commodus Augustus, vir pietate bonus :  
 189 "Nobile praeceptum, rectores, discite post me :  
 190 sit bonus in vita qui volet esse deus ".  
 191 Ecce quid impendit homini clementia simplex,  
 192 ut praestet bona dans conferat atque animae.  
 193 Ne facias populum mendacem, qui tibi clamat  
 194 vocibus innumeris " rex dominusque pius " ;  
 195 ut vox vera sonet " dominus ", sic vera " pius " sit.  
 196 Orbis in ore volat puplica merx procerum.  
 197 Fama ducum mos est bellis collecta cruentis,  
 198 ex quibus occurrit saepe reatus atrox.  
 199 Gloria bellorum ducibus populisque triumphos  
 200 in commune datos dividit armipotens.  
 201 Nam ducibus solis praestat clementia laudem,  
 202 non habet haec comitem participemque negat.  
 203 Dicit "in arma pares fuimus cum principe " miles,  
 204 " me pugnante, comes, victor ab hoste redis ".  
 205 Numquid, ut ignoscat rector, pars militis intrat ?  
 206 Soli qui ignoscit gloria laudis erit.  
 207 Qui fodit adversos hostes certamina Martis  
 208 horrida concurrens, vincit in arma fremens ;  
 209 rex, qui dat veniam subjecto et temperat iras,  
 210 plus quam turba facit, qui sua corda domat.  
 211 Te Deus aspiciens effundere nolle cruorem,  
 212 ut sine peccato, non sine laude daret,  
 213 contulit absenti terrae pelagique triumphos :  
 214 Ansila testatur, Maurus ubique jacet.  
 215 Quod pereunt hostes, regis fortuna vocatur,  
 216 quod pereunt populi, temporis ordo regit.  
 217 Nam si debilitas faceret discurrere mortes,  
 218 non caderent pueri aut femina sexus iners.  
 219 Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur,  
 220 tempora eunt vitae, tempora mortis eunt :  
 221 sex sunt aetates hominum procul usque senectam,  
 222 hae distincta tenent tempora quaeque sua.  
 223 Numquid adultorum strepitus infantia simplex

224 vindicat aut fremitus pigra senectus habet ?  
 225 Non catulaster agit puerilia, non puer audet  
 226 attrectare tener Martia tela manu.  
 227 Non furit in venerem nondum pubentibus annis  
 228 nec sub flore genae marcidus est juvenis ;  
 229 maturus tractat, gemit et tremebunda senectus  
 230 nescia fervoris vel levitatis inops.  
 231 Numquid mox natas segetes viror armat aristis,  
 232 floribus aut genitis fructus inest subito ?  
 233 Novimus astra poli confectos perdere cursus  
 234 transactasque simul sic repetisse vias.  
 235 Tempore luna suo crescit vel deficit orbe,  
 236 cujus ad aetatem plurima lege notant.  
 237 Nam luna crescente fretum crementa resumit,  
 238 qua minuente polis est minor unda maris.  
 239 Cynthia dum crescit, fontes et flumina crescunt,  
 240 haec eadem minuunt, Cynthia dum minuit.  
 241 Ipsa medulla latens observat cornua lunae,  
 242 observant lunae tecta cerebra globos.  
 243 Sol oculus caeli radians fuscatur ab umbra  
 244 et tamen ad solitas itque reditque plagas,  
 245 ac recipit facies priscas lucesque resumit.  
 246 Damna vel augmentum dant quae elementa ferunt.  
 247 Alternant elementa vices et tempora mutant,  
 248 tempus habent noctes, tempus et ipse dies ;  
 249 accipiunt augmenta dies noctesque vicissim  
 250 ac minuunt cursus perpete lege poli.  
 251 Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis,  
 252 tempus et autumnum, tempus habet hiemes.  
 253 Ver aestas autumnus hiems (redit annus in annum)  
 254 quattuor alternant tempora temporibus.  
 255 Omnia cum redeant, homini sua non redit aetas,  
 256 sed velut acris avis sic fugitiva volat.  
 257 Tempora sunt pacis vel tempora certa cruoris,  
 258 otia tempus habent militiaeque labor.  
 259 Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi,  
 260 tempora dant lucrum, tempora damna ferunt.  
 261 Nubila tempus habent et tempora certa serenum.  
 262 Tempora servare jussit et ipse Deus.  
 263 Horam quaesivit faciens miracula Christus ;  
 264 horam speravit passio sancta crucis.  
 265 Ut mi irascaris, quis sim qui dignior ira  
 266 tam magni regis judicer esse tua ?  
 267 Quando per aetherias aquila volitante rapinas  
 268 praeda cibusque fuit passer hirundo picus ?  
 269 Quando fames rabidi quamvis jejuna leonis  
 270 ut sit adoptavit faucibus esca lepus ?  
 271 Devorat egregios ingenti corpore tauros  
 272 et rapiunt aquilae candida membra pedes.  
 273 Dat semel iratus veniam post vulnera pardus  
 274 nec reduces morsus dat feritate pia.  
 275 Despicit irasci pastoribus optima tigris,  
 276 despicit et talpas flammeus ore draco.  
 277 Fulmina non feriunt reptantia gramina terris  
 278 nec modicas salices flamma trisulca cremat,  
 279 sed feriunt celsas pulsantes nubila cedros  
 280 et montes vastos proxima saxa polo.  
 281 Sontes peccantes tantum sua culpa fatigat ;

282           ecce etiam insontes noxia poena petit.  
283       Si ipse ego peccavi, quaenam est, rogo, culpa meorum,  
284           quos simul exagitat frigus inopsque fames ?  
285       Diluvio periire rei sine clade piorum ;  
286           Loth bonus et justus tollitur ex Sodomis.  
287       Si non humani generis peccata fuissent,  
288           unde pium nomen posset habere Deus ?  
289       Sed quia dat veniam populis peccata relaxans,  
290           per pietatis opus nomen habet placidum.  
291       Si veniam frater fratri donare jubetur,  
292           quid rex subjectis et dominus famulis ?  
293       Si justis solem Dominus pluviasque dedisset  
294           nec daret injustis, quae fuerat pietas ?  
295       Non quaerit veniam qui nil peccasse probatur ;  
296           nonne manus medici languida membra petunt ?  
297       Materiem laudis praebet tibi culpa reorum  
298           et titulos famae dat pietatis opus.  
299       Inclitus armipotens, vestrae pietatis origo,  
300           et doctus, genio pronior ad veniam,  
301       "non homini ignosco ", dixit, " sed lingua meretur " ;  
302           hic reus et doctus Vincomalos fuerat.  
303       Non laedunt delicta Deum, sed laeditur auctor,  
304           ni peccata dolens paeniteat sceleris.  
305       Qui poscit hac lege Deum ut peccata relaxet,  
306           debet et ipse suo parcere ubique reo.  
307       Non semel ignosci dixit lex sancta reatum,  
308           sed quotiens culpa est, sit totiens venia.  
309       Dicam regnanti domino pia verba prophetae :  
310           " Etsi peccavi, sum tamen ipse tuus ".  
311       Da veniam, miserere, precor, succurre roganti,  
312           pristina sufficiant verbera vincla fames.  
313       Sessorem, dum carpit iter, si cornea palpans  
314           ungula concutiat quadrupedantis equi,  
315       verbere corrigitur culpa plectente flagello,  
316           non simul abscisi crura pedesque jacent.